

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Serenissimo & Celsissimo Principi ac Domino, Christiano.  
II. Principi ... Soceri piissimi, nunc desideratissimi, nempe  
... Dn. Johannis Jacobi, Comitis ac Domini in Rappoltstein**

...

**Rebhan, Johann**

**Argentorati, 1673**

**VD17 VD17 12:127881Z**

[Fließtext]

[urn:nbn:de:bsz:31-136674](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-136674)





**V**ista pie dum nunc *Socero* funebria *magno*,  
*Maxime* Tu soluis *Princeps*, quid? jure re-  
cordor,

**L**uctu perfusus, quotiens immota novata  
Fata brevi fuerint tua : quantis septa periclis;  
Quantisq; Herculeis tua vita laboribus acta.

Horreo commemorans! peregrinis Miles in oris,  
Phœbus ubi surgit fulgens : conditque sub orbem  
Ignitos radios: & qua septentrio spectat :  
Quanta explorasti funesta pericula sponte?  
Quanta domi interea summè Te funera dura  
Afflixere? Tibi dum magni obicere *Parentes*?  
Hinc quanti gemitus! *Gnatus*, spes maxima terræ  
Subjectæ: & *Gnata*, quondam festiva voluptas  
Et Patris & Matris: successit *Patruus*, olim  
Flos senij: mox & *Patruelis*. Sistite verò  
Gressum infelicem, citò cedite fata sinistra!  
Quid? magis atque magis pergunt & falce eruenta  
Dejiciunt *Socrum*, quæ deliciae audiit olim  
Sexus foeminei. Sed nondum sufficit, ultra  
Tendunt & *Socerum*, qui summus & ultimus Heros  
Quos domus alta tulit, rapuere: ô tristia fata!  
Quis non ex animo doleat, *Celsissime Princeps*!  
Et quis non stupeat, quod tanta pericula constans  
Viceris & luctus generosè eviceris omnes?  
Quæis verò mediis potuisti evadere tantos  
Innumeros casus? Tu nosti fortiter uti  
Armis, ingenioque vales: Non sufficit illud:  
*In rerum Domino posita est fiducia sola!*  
Hinc promptum evitare fuit discrimina quævis;

Et



Et qui non superare queas momenta dolorum,  
 Quæ desiderium primi infixæ medullis  
 Perpetuant *SOCER*? Tandem modus esto querelis!  
 Prodest hic luctus Tibi, conciliatque favorem  
*Cæsaris & Regum*: Tu vives ipse superstes  
 Stemmæ *DEFUNCTI*; vivet Celsissima Conjux,  
 Atque Palatinæ, jam Rappoltsteinia, terræ  
 Infitæ continuò producere germina perget,  
 Quæ nova dent Populis & avito gaudia cœlo,  
 Æternaque regant conjuncta Palatia Pace.  
*Sic precor ac voti Caput est & summa MINISTR!*

